

**Sermo**

propter quod multitudo confluebat ad eos. Et notandum quod quatuor de causis miracula dominus operabat in sabbato

**P**rima causa est ut ostenderet cessatorem litteralis obseruancie illius quod erat cessare ab operibus seruilibus. quantum enim ad hoc fuit cerimoniale. quia datum in signum. Unde dicitur. Ezechielis. xx. **D**edi eis precepta mea. et iudicia mea ostendi eis. que faciat homo et uiuat in eis. Insuper per sabbata mea dedi eis. ut esset signum inter me et eos. et ob hoc aduentante: debuit cessare obseruatio illius.

**S**ecundo fuit signum quietis domini et passionis et sepulture. qui sexto die laborauit in opere redemptionis nostre. sed in sabbato requieuit. id salmista. **C**aro mea requiescit in spe.

**T**ercio fuit signum quietis sanctorum patrum. quos eadem die a doloribus requiescere fecit. Actuum. ij.

**Q**uarto fuit signum sabbati spiritualis dandi a christo per gratiam que est cessatio a peccato. et sic est morale et ligat semper. Unde ponitur in decalogo inter precepta moralia

**Q**uinto erit signum perfecte quietis in septima etate quare habituri sumus in patria. **I**saie. ultimo. **E**rit sabbatum ex sabbato. Item dicit augustinus

**S**i a malis operibus cessando sabbatizamus ad futuram quietem pueniemus

**S**exta causa quare operabatur dominus in sabbato est ut ostenderet se non teneri ad opera legis. Non enim erat subiectus legi sed dominus legis.

Unde dicitur. **L**uce. vi. **D**ominus

**Centesimus secundus**

est filius hominis etiam sabbati.

**T**ercia causa est ut se ostenderet creatorem. quia opera creationis operibus creatoris insereret. et inde inciperet noua creatura ubi uetus desijt.

**J**ohannis. quinto. **P**ater meus ut quomodo operatur et ego operor.

**Q**uarta et ultima causa est ut hoc factum doceret nullo tempore pretermittenda esse opera pietatis. Si enim licitum erat bouem uel asinum die sabbati de puteo extrahere. multo magis infirmum sanitati restituere.

**Q**uarto dignatio domini insinuat ex actu ordinato ad vim vegetabile que est manducare panem. Unde dicitur. **I**saie. undecimo. **D**eclinauit ad eum ut uesceretur. Assumpsit enim defectus nostros ut esuriret et siti et lassitudinem sustineret. Unde dicit beatus. **A**ugustinus. Panis esurit. fons sitit. uia lassatur. spiritualiter etiam quotidie dignatur intrare ad nos. si sit qui preparat ei locum.

**S**icut psalmista qui dicebat. **S**i de uero sompnum oculis meis. et. usque donec inueniam locum domino.

**C**ogitauerat enim rex dauid edificare domum domino. Unde dixit ad Nachan prophetam. **2**do. **R**egum septimo. **N**ides ne quod habitem in domo cedrina. et archa dei sit in medio pellium. **D**ixitque Nachan ad regem. **O**mne quod est in corde tuo. uade et fac quoniam domus terrena est hoc ipsum docet nos cogitare fideliter ac uiriliter effectui mancipare. uides enim quod tu habitas in domo sublimi. id est in corpore. quod sic aptauit ut gloriose et delectabiliter